

# A R T I C V L I ET POSITIONES

In causa Canonizationis

S E R V I D E I

D. P A V L I D E A R E T I O

B V R A L I S ,

C L E R I C I R E G V L A R I S ,

S. R. E.

Presbyteri Cardinalis, Tituli S. Pudentianæ,

Et Archiepiscopi Neapolitani.



NEAPOLI, Ex Typographia Octauij Beltrani. 1625.  
Superiorum Permissu,

Ex iecurum ARRETTII, Apud Herculem de Goris. M. DC. XXXIV.  
Superiorum Permissu,

Josephi Iusticia inv. et Presb. Arree.



Illustrissimo, ac Reverendissimo

# IULIANO MEDICI ARCHIEPISCOPO PISANO

Sardiniae, ac Corsicae Primati, ac Sedis Apostolicae in eius  
legato Nard; nec non Almi Pisani Gymnasij,  
Apostolica, Casareaq; Authoritate  
Cancellario Dignissimo.

VIRI ARRETINI DE BVRALIIS  
deditissimi salutem plurimam, ac felici-  
tatem perpetuam dicunt.



N<sup>o</sup> V<sup>s</sup> iam Octauus agitur  
(PRAESVL AMPLISSIME)  
ex quo admodum Reverendi Pa-  
tres, quos Clericos Regulares, ac  
Theatinos appellant, Illustrissimi  
PAVLI de Arctio Cardinalis de  
BVRALIIS, imaginem ad vi-  
num depictam, & Articulos quosdam, sanctitatem ipsius  
apertissime declarantes, Neapoli Arretium ad nos trans-

A 2 miserunt.

miserunt : Cùm Romæ de Illo in Beatorum numerum referendo seriò ageretur . Quanto , & quam incredibili gaudio confessum affecti sumus , postquam nuncium hunc accepimus , gratum , & opatum ; nemo nostrum est , qui verbis posse illud exprimere : permagni enim ad laudem nostram intererat , CARDINALEM ILLVM habere , ex Vrbe Arretio , è què Gente Buralia oriundum , qui iure , ac merito novos inter Cælitæ adscriberetur . Ac quoniam bellici tumultus , cùm in Italia , tum etiam in Germania exorti , Pestilentia contagia , quibus uniuersæ ferè Ciuitates sunt perterritæ , aliæque fortasse cause , qua nos latent , Sancti VIRI Beatificationem retardarunt ; eosdem articulos , cum eadem effigie , typis recudendos curauimus ; ut exemplar VIRI pietate insignis , extaret , quem homines suspicerent , admirarentur , imitarentur , & colerent . Optimè verò scientes ; Amplitudini Tua , tanquam Principi , maximè Benigno , & Antistiti , Egregijs moribus , singulariè pietate , ac viræ Sanctimonie prædicto , id esse in more , instituoque possum , ut huiusmodi Sanctas , & pias causas , ultrò , libenterque suscipiant , acueatur : Ideo Sub Tuum præsidium omnes confugimus ; sperantes fore , ut ipse Archiepiscopus , Archiepiscopi dignitatem propitijs respicias , honestissimamq; Provinciam , iam pridem inchoatam , Tua Benignitatis aura promoucas , iuves , atque perficias .

Opus quidem hoc erit egregium , ac laudabile : Nam  
B. PAU-

B. P A V L V S , dum in terris vixit , magnum apud Cle-  
ricos Regulares de se pietatis , ac Religionis Christianæ  
specimen dedit : Hinc Placentiae Episcopi , Neapoli Ar-  
chiepiscopi Munus , Angelicis humeris formidandum ;  
optimè administravit , & ad Eminentissimum Cardi-  
nalatus apicem tandem erexit , S. C A R O L I Cardi-  
nalis B O R R O M A E I emulus , ac socius , oneribus  
pro Sancta Romana Ecclesia obsecundis intentus , bonum  
certamen certauit , summamque apud homines laudem  
semper promeruit ; Nos interim , vt famuli ; Tibi , ac  
Toti Serenissima M E D I C U M Familiae tercen-  
tum abhinc annis maximè addicti , ac semper deuoti ,  
D E V M Opt. Max. Beatumq; P A V L V M assidue  
precabimur , vt , & Nestorea vita , & omnia tibi pro-  
spera , feliciaque nunquam non succedant .

Arretio : Calendis Iulij . M. DC. XXXIV.

D. PAVLVS de Arctio Burdis Clericus Regularis  
S.R.E. Prefb. Card. Tit. S. Pudentiana Episcop' Placentia  
Archbp. Neap. virtutibus præulgens  
Obiit Neap. 7 Junij 1578

Supiorum ymorum

Bernardus Capellanus

# A R T I C V L I , E T P O S I T I O N E S

In causa Canonizationis

S E R V I D E I

D. P A V L I D E A R E T I O B V R A L I S  
Clerici Regularis,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tituli S. Pudentianæ,  
*Ei: Archiepiscopi Neapolitani:*

ଉଦ୍‌ଧୂମରାଜୀ



Ro verificatione puritatis Fidei , sanctitatis vitæ , atque insignium virtutum Serui Dei D.Pauli de Aretio Buralis . Sacerdotis professi Religionis Clericorum Regularium , qui & Theatini nuncupantur , S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tituli S. Pudentianæ , & Archiepiscopi Neapolitani , ac miraculorum , quæ , ipso intercedente , Deus Opt. Max. operari dignatus est , Procurator , & eo nomine Reuerendiss. Patris Præpositi Generalis , ac totius prædictæ Religionis ponit , exhibet , producit , & in medium affert infra scriptos Articulos , ad quos probandos se , partesq; suas omnino admitti , & super eis testes speciatim examinari , tam in Curia Archiepiscopali Neapolitani , quam vbiunque opus fuerit , petit , & instat , non se adstringens ad aliquam superfluam probationem , &c. sed protestatur , &c. omni meliori modo , &c. saluo iure , &c.

z IN

**N** primis Procurator prædictus , nomine quo supra ,  
repetit hic , & reproducit , ac pro repetitis , & repro-  
ductis haberi vult omnia , & singula Instrumenta , Pro-  
cessus , Iura , Testium depositiones , Scripturas tam pu-  
blicas , quam priuatas , Litteras , Historias , Memorias , Mo-  
numenta quæcumq; in hac causa quomodolibet facta ,  
& producta , factas , & productas , manifestam , & no-  
toria m sanctitatem suprascripti Serui Dei D. Pauli de  
Aretio Buralis probantia , ac probantes , quatenus ta-  
men pro se , & non aliter , nec alio modo , &c. de quo  
expressè protestatur &c.

**E**X quibus omnibus sic repetitis , & reproductis , & in  
vnū congestis , quamuis sibi persuasum habeat , clarissi-  
mè constare de fundamento intentionis suæ , & suarum  
partium , tamen ad maiorem , & plenioram cautelam , &  
quatenus de prædictis non constaret , articulat , & pro-  
bare vult , & intendit , qualiter à 10. 20. 30. 40. 50. cen-  
tum , & ultra annis , & à tempore cuius initij memoria  
hominum in contrarium non extat in Regno Neapolitanó  
in Prouincia Campaniæ sub Dicecefi Caetana , fuit  
& adhuc est , Terra Itri , quam tenuerunt , & in præsen-  
tiarum tenent honesti , Catholici , Pij , & Religiosi habi-  
tatores , & in ea à prefatis temporibus , & per tempora  
suprascripta floruit , & de presenti floret fides Catholi-  
ca , & obedientia erga Sanctam Romanam Ecclesiam ,  
eiusque Summum Pontificem , & homines ipsius tales ,  
& pro talibus ab omnibus utriusque sexus , cuiuscunque  
ætatis , gradus , conditionis , & eminentiæ , communiter  
habiti , tenti , & reputati fuerunt , & habentur , tenentur ,  
& reputantur , quod fuit , & est verum &c. publicum , &  
notorium , & manifestum , publica vox , & fama .

3 Item

3] Tem ponit ; quod familia de Aretio antiquissima , & nobilissima fuit , & dicta erat de Bancherijs : hęc primū sedem habuit Buri in Prouincia Zimoniae Regni Galliæ , vnde dicti erant Domini Burales , vbi bello exorto , aliqui se contulerunt in Hetruriam , & Domini fuerunt cuiusdam castri propè Florentiam , quod Hostina nuncupabatur , in Valle Arni , ibique bello similiter virginis inter perditissimas illas , ac diabolicas Guelphorum , & Gibellinorum factiones , cum ipsi Summi Pontificis partes agerent , fuit eorum dictum Castrum funditus destrūtum , vnde Aretium venerunt , ac postea in Terram Irensem se transtulerunt , & dicti fuerunt de Aretio , sic que hęc familia eadem est , ac illa , quae in dicta Ciuitate Aretina dicta est Buralis . Fuerunt ex his magni Viri , Consiliarij Regis Ladislai , ac Locumtenentes Magni Cancellarij , & pater prædicti Serui Dei , qui similiter Paulus nuncupabatur , fuit primus à secretis Prospere Columnæ tunc Generalissimi Regis Catholici , & postea mortua vxore Camerarius Clementis Septimi , quemad modum est videre ex multis scripturis , & testes melius informati deponent , quod fuit , & est verum &c.

4] Tem ponit , quod ex Paulo de Aretio , & Victoria Oliueria , Clarissimis Genitoribus honestis , pijs , & Catholicis , & ex legitimo , & solemnni matrimonio in dicta Terra Itri natus fuit Seruus Dei D. Paulus de Aretio Anno 1511 . & in Parochiali Ecclesiæ dietę Terrę baptizatus fuit , & dictus Scipio , & tempore opportuno confirmatus , quod fuit , & est verum , &c.

3] Tem ponit quod dictus Seruus Dei D. Paulus à parentibus pię , & exemplariter educatus , & puer vitam grauissimi hominis dignam peregit , signa expectationis miræ sanctitatis dedit , præferens esse præstantis indus;

lis ; fuit domi humanas litteras doctus , decimum ter-  
tium ætatis suæ annum aggressus, Salernum, quod tunc  
studiorum famosa Ciuitas erat, Iuri ciuili operam datu-  
rus. V. I. studiorum gratia missus fuit; vnde post aliquot  
annos Bononiam se contulit , & utriusq; Iuris Lauream  
assecutus fuit sub Vgone Boncompagno , qui fuit po-  
stea Gregorius XIII I. tunc temporis illius almi Gym-  
nasij famoso Iuris interpræte anno 1536. Neapoli po-  
stea dum Consiliarius Regius existeret; vt se se in tuctiori  
statu salutis æternæ reponeret, ad Religionem Clerico-  
rum Regularium vulgè Theatinorum nuncupatorum  
se contulit die 25. Ianuarij anno 1557. ætatis suæ 46.  
ibique Scipionis in Pauli nomen immutatum fuit ; ac  
solemnem professionem fecit sub die Purificationis  
Beatæ Virginis anno 1558. ac in ea Congregatione per  
annos circiter decem sanctissimè , & maxima omnium  
admiratione vixit, quod fuit, & est verum, &c.

### De Virtutibus .

6. **I** Tem ponit, quod dictus Scipio , & postmodum Paulus  
per totum suæ vitæ spatium usque ad mortem inclusi-  
uè, virtutibus omnibus ornatus mirabiliter extitit, quod  
fuit, & est verum, &c.

### De Fide.

7. **I** Tem ponit , quod Seruus Dei D. Paulus virtutem fideli-  
m excellenti gradu habuit , vt ex eius vitæ decursu va-  
rijs emissis actionibus constauit, eamq; dum vixit , reti-  
nouit, ac in illa usque ad finem perseverauit .

i, Res.

1. Res fidei bene calluit ; fuit enim non solum V. I. D., sed etiam sacrarum litterarum eruditissimus , & Consiliarius existens, tempore, quo, & negotia , & continui labores animum lassum recreare non vetabant, sacræ Theologiæ studebat sub auspicijs R. P. M. Fr. Hieronymi Panormitani Ordinis prædicatorum.

2. Religionem ingressus manens Romæ à Summo Pontifice Pio Quinto electus cum alijs, Index Archiepiscopi Toletani hæresis accusati , se zelantissimum fidei ostédit.

3. Ad Episcopalem dignitatem Placentinę Ecclesiæ ab eodem Pontifice assumptus; in Concilijs Prouincialibus, & Synodis Dioecesani ab ipso celebratis illud apprime curauit , vt fidem, quam Romana profitetur Ecclesia , diligentissime docerentur fideles omnes , vt contraria vitia hæresum , sortilegiorum , superstitionum , & chyromanticiæ extirparentur , & aduersus violatores constitutæ pena canonicae sine personarum distinctione exercentur .

4. Cum Placentinam Ecclesiam gubernaret , eamq; circa Sanctorum Imagines à fidelium debita veneratione aliquantulum alienam inueniret; vt omnes alij, sui ipsius exemplo ducti in earundem deuotionem coinciderent , ipse postam , &c. publicè ambulare , quoequot Sanctorum Imagines inueniebat , deuotissimè flexis genibus adorabat , & hoc sibi ex voto accidit : nam omnes, tanti pastori exemplo ducti , magnam hac de re deuotionem adepti fuerunt .

5. Archiepiscopus Neapolitanus electus , fidei zelantissimus, vt illius Sacra menta rectè , & ritè ministrarentur , confessarios omnes scrutinio subijci voluit, ac cum multis ex illis inexpertos inueniret , ab audiendis deinceps confessionibus removit , alias Doctrina , & integritate præstantiores substituendo .

6. Sacrosanctæ Tridentinæ Congregationis decretum illud mandans, Episcopis aliquos sibi casus particulares referuare debere, in praxim publicè deduxit, & imprimi curauit, quod & si ab inicio durius visum fuit, in meliorem tamen partem postea ob eius sanctitatem accep-tum fuit.

7. Ac vt dies festiui, pro vt decet, cælebrarentur, ne Tabelliariorum occasione fideles impedirentur, illos prædi-ctis diebus discedere vetuit.

8. Primum in Castris Sanctissimum Eucharistiæ Sacra-mentum conseruandum introduxit, vt potentibus, & egre-tantibus faciliori modo administrari posset.

9. Sacrorum Reliquias, & Imagines maximo in hono-re habuit, solemniter illarum translationes celebrauit, & summa veneratione prosecutus est, hinc publico edicto prohibuit depingi in sordidis locis, & cum Beatissimæ Virginis Imaginem in suburbio Neapolis in valle dicta Sanitatis inueniret, vt illam condigne populus veneraretur, in Prædicatorum Ordinis Fratres cum agris, & territorijs ad ipsam Imaginem pertinentibus transtulit, ac nomen imposuit Sanctæ Mariæ Sanitatis.

10. In eadem Ciuitate Neapolis particularē Societa-tem instituit ad docendum Cathæcumenos Fidem Orto-doxam, quos postea sollemniter in maiori Ecclesia suis manibus baptizabat. Quod fuit, & est verum, &c.

### De Spe.

3. **I** Tem ponit quod hanc virtutem mirabiliter habuit, eius enim intuitu firmiter credidit, se bene operando cælestem gloriam affecturum.

2. Hinc

1. Hinc mundū, ac Togæ dignitatem paruifaciens , vir-  
tute ipsa tantummodo innixus ingressus fuit Religionem  
Clericorum Regularium ; quę annuis introitibus, posse-  
fitionibus, aut his similibus non gaudet , sed tantummodo  
spe diuinæ prouidentiæ freta, eleæmosynis nisi sponte ob-  
latis non fruitur.

2. Ea suffultus, atq; munitus vsque ad mortem se exer-  
cuit in varijs laboribus , ieunijs, flagellis, vitę mortifica-  
tionibus , ac varijs virtutum operibus .

3. In difficillimis negotijs omnia contraria spreuit ; ar-  
duis ob Dei gloriam se obtulit , in omnibus Dei nomine  
tutus existens; quod fuit, & est verum &c.

### De Charitate erga Deum.

¶ **I**tem ponit, quod seruus Dei maximam habuit charita-  
tem erga Deum, quia ipsum ob suam infinitam bonita-  
tem semper toto corde dilexit, ita , vt semper nihil aliud  
quæneret , quam ipsius Dei gloriam , & honorem , & sui  
ipsius contemptum.

1. Ex quo usum rationis habere cœpit, ad Deum se con-  
uertens, præcepta ipsius semper illibata custodire studuit,  
& in medio mundanæ gloriæ collocatus , diuino amore  
flagrans, omnia reliquit, sequutusque est Christum, admi-  
rantibus omnibus ut dictum est .

2. Ex amore , quem erga Deum habebat , oriebatur in  
seruo Dei intensissimus dolor offendarum Deo irroga-  
tatum . Vnde, cum Episcopus esset Placentiæ, mirum  
inmodum cruciabatur de scelesto abusu balsphemiarum,  
ibi ex Diabolica fraude introducto , & optimis sanctio-  
nibus , & condignis pœnis omni conatu nixus est abo-  
lere.

B 2 3. Ardens

3. Ardens desiderium pro Christo patiendi signum magnum fuit sui erga Deum amoris , sicque nō solum omnia aduersa hilari tolerabat animo , sed etiam quotidie pœnitentijs , carnis maceratione , & alijs mortificationibus tanquam victima Christo se offerebat .

4. Denique Ecclesiastica Iurisdictionis limina , animalium necessitates , ac omnia quæ ad boni pastoris officium pertinebant , summa ipse charitate , & vigilancia ob Dei amorem custodivit , quod fuit , & est verum &c.

### De Charitate erga Proximum .

¶ 1 Tem ponit quod in eminentissimo gradu istius virtutis repositus fuit : omnes enim saluos fieri totis viribus nō solum optabat , sed illis quantum poterat subueniebat .

1. Togæ honore decoratus in continuis vigilijs , & laboribus versabatur , vt litigantium necessitatibus , atque causarum celeri expeditioni pro viribus satisfaceret .

2. Quædam pauperrima mulier grauiter coram ipso conquerens se ex eo tantum in lite succubituram , quod tuiusdam paruæ quantitatis pecuniæ depositum facere non valeret , maxima ille charitate ardens , eam mutuo dedit .

3. Altera similiter mulier apud Seruum Dei litigans , sæpè sæpius instabat , vt causam expediret , ac pro fe sententiam ferret , maximam necessitatem ipsiusmet exagerans , sed cum ille aspiceret , eam fouere malam causam , ac necessariò succubituram , pietate ductus , cum tota illius spes in ea lite esset , quingentos ducatos (ad eam enim summam lis perueniebat ) illi erogauit ; ac contra , pro vt iuris , sententiam tulit ; hęc & alia huiusmodi testes melius informati deponent .

4. Reli-

4. Religiosus effectus , & si remotiori vita incumbe-  
ret, inimicos tamen conciliare, iurgia sedare, lites amica-  
biliter componere studebat, & pro salute animarum ma-  
xime pro audiendis confessionibus, nec laboribus peper-  
cit, nec incommodis .

5. Placentinam Ecclesiam regens , ineffabili charitate  
animarum sibi commissarum necessitatibus indefessè pro-  
spexit, & breui magna ciuitatis ædificatione clerum re-  
formauit.

6. Sentiens aliquem ex sua Diœcesi in labem incidisse, statim ad se domi illum vocari mandabat, & maxima  
repletus charitate lacrimans illum monebat, ne deinceps  
criminū patrator esset, ex quo maximū eliciebat fructum,  
ac postea si contrariū perspiceret, seuere illum castigabat.

7. Publicè vniuscuiusque necessitates audiebat, & diæ-  
celim visitans, quot pauperes, & maximè presbyteros in-  
ueniebat decenti ueste induitos non esse proprijs facultati-  
bus summa charitate illis subueniebat :

8. Cardinalitæ dignitatis honore iam præditus, Sum-  
mo Pontifice Pio V. in ultima infirmitate Romæ ægro-  
tanti, non solum quæ ad animam, sed quæ ad corpus per-  
tinebant, continuò ministravit.

9. Roma Placentinam rediens ob Iubileum Ciuitati illi  
à Summo Pontifice Gregorio XIII. concessum, anno  
1576. vt illud ab omnibus facilius acquireretur, pauperes  
hospites suis proprijs exceptit expensis.

10. Ad Neapolitanæ Ecclesiæ regimen assumptus , ad  
eam Ciuitatem se conferens, per Iterensem Terram suam  
patriam transgressus fuit, & cum eo loci Sacerdotem quem  
dam paucisum aspiceret , eum domum vocari iussit , de-  
ditque propria cibalia, vetustis se induens, atque nouam  
vestem illi effici mandauit .

II. Quo-

11. Quolibet mane magnę pauperum turbę , quā atriū suum erat plenum , ferculum , ac duos panes erogabat , & nonnullas alias eleemosinas faciebat peruenientes non sc̄ mel ad summam ducatorum centum .

12. Existens Archiepiscopus Ecclesiæ Neapolitanæ senex , & infirmus aerem mutare recusabat , quamquam id sibi fore necessarium medici dicerent , nè sui gregis ouibus longius prospiceret ; nec id vñquam effecisset ; nisi spe firmius illas adiuuandi , id ei persuaderetur ; quod fuit , & est verum &c.

### De Prudentia .

1. Tem ponit , quod in hac virtute magnopere fulsit ; Aduocatus in concilijs rerum forensium , & Religiosus rerum religiosarum prudentissimum se ostendit , propter quod ipsum , tanquam oraculum , magna hominum turba quotidie consulēbat ; & obtemperantibus ex voto coveniebat .

1. Consiliarij officium tam prudenter exercuit , vt præter quod esset maximæ ædificationis , ab omnibus pariter diligenter .

2. A D.Petro de Toletto , tunc Regni Neapolitani Prorege , Salernum missus fuit , vt eum certiorem redderet , an Principissa Salerni pregnans esset , nec ne ibique cum menses nouem , & dies viginti commoratus fuerit , tam prudenter se gessit , vt idem Princeps Salerni in scriptis notum fecerit , Principissam nō fuisse pregnantem , sed ergastam , errareque lapsos medicos , & obstetrices .

3. Præterea cum esset electus Auditor Generalis exercitus expediendi à Duce Aluæ , tunc eiusdem Regni Prorege , ob bellum ortum inter ipsum Proregem , & nostrum

San-

**Sanctissimum Patrem , & Sanctum Pontificem Paulum  
Quartum pietatis amantissimus , efficuum illud recusaue,  
sed cum tanta prudentia , vt nihilominus carissimus Pro-  
regi permanferit .**

**4. A D. Berardino de Mendoza dicti Duci Aluæ Pro-  
regis Locumtenente Romæ Legatus constitutus , vt cum  
dicto Summo pontifice de Ecclesiastica Iurisdictione tra-  
staret , omnia quæ optabantur propter suam prudentiam  
obtinuit , maximè Summo Pontifici satisfaciendo .**

**5. In gubernandis orphanis S. Eligij Ecclesiæ maioris  
Neapolis maxima prudentia , & charitate se insignitum  
esse ostendit .**

**6. Religiosus effectus pluries electus Præpositus San-  
cti Pauli maioris Ciuitatis Neapolis , & S. Siluestri Romæ  
onus suum prudentissimè , & sanctissimè adimpleuit , &  
quamvis esset defectuum rigidissimus reprobator , om-  
nibus tamen se gratum , ac venerabilem ob suam pruden-  
tiam reddidit .**

**7. Legatione pro Vrbe Neapolitana apud Catholicum  
Hispaniarum Regem Philippum Secundum , prudentissi-  
mè profecit , & non solum quicquid ab eadem fidelissi-  
ma Vrbe vehementer opeabatur , obtinuit , sed etiam Rex  
ille magnâ de ipsius prudentia , & integritate , existima-  
tionem concepit ; & vti Sanctum ipse cum sua vxore ve-  
neratus est .**

**8. Placentinæ Ecclesiæ Episcopus , non solum Ecclesijs  
sibi commissis summa prudentia prospiciebat , verum  
etiam non imparem curam de sua domo habebat , fami-  
liares enim non nisi probatissimè vitæ , & optime opini-  
onis eligebat , illos ex diuerfis locis , & congregationi-  
bus diligentissimè euocans , ita vt post eius obitum mul-  
ti Prælati , & Cardinales familiares illos sibi adscire desi-  
derata-**

derauerint, & aliqui ob bonum nomen domi Serui Dei Pauli acquisitum, Episcopi, & Nuntij Apostolici fuerunt electi.

9. In purpuratorum Patrum Collegio positum (tanta erat eius prudentiae, & sanctitatis fama) ut Summus Pontifex Gregorius x i i. ad supremam Pontificij dignitatem nuper assumptus illum insimul cum Sancto Cardinale Borromeo elegit, ut meditarentur, quid in principio sui Pontificatus ob bonum totius orbis terrarum regimen faciendum esset.

10. Denique in regendis alijs, partes omnes boni Præfus expleuit, industria, labore, constantia, cunctos precebat, morum grauitate, ac suavitate, modestia, misericordia omnes consolabatur. Quod fuit, & est verum &c.

### De Iustitia.

¶ 2 **I** Tem ponit quod Servus Dei Pauli in gradu insigni habuit virtutem Iustitiae, nam tribuit vnicuique quod sum erat; Deum, & Proximum sommoperè dilexit, Dei mandata custodiuit, consilia Euangelica amplectens.

1. Cum in sæculo esset causarum Patronus pro Iustitia ita laborabat, ut communiter dictus fuerit Doctor veritatis, & dum esset Regius Consiliarius, & Magnæ Curiæ Vicariæ Iudex criminalis non solum recte hoc exercuit officium, delinquentes puniendo, & maximè, qui delicta patabant enormia, sed etiam cum iam se subiecerat syndicatu, præter omnium officialium perpetuorum consuetudinem; amplas litteras, quas liberatorias appellant obtinuerit.

2. Cum aduocationis munere fungeretur, à quodam cliente ei dati fuerunt quatuor nummi aurei, quod ipse prospic-

prospiciens, clientem repetiit, illaque duos restituit, subdens illos esse superfluos.

3. Cum Placentiae, ac postea Neapolitanæ Ecclesiæ præficeret, beneficia, & officia Ecclesiastica non nisi idoneis, & virtute præditis conferebat; ac ut ostenderet, se nunquam moueri sanguinis affectu; illa penitus conferre denegauit suis consanguineis; tribunalia Ecclesiastica sæpè inuisebat; & vt in eis inuiolabiliter ius suum vni-cuique tribueretur, omnem illicitum questum, & quicquid eius umbram præferre videretur, extinxit.

4. Zelo iustitiae motus monasterium monialium Ciuitatis Neapoli sub Titulo S. Archangeli, iam à regulari obseruantia relaxum destruxit, ac moniales ipsas in diuersis obseruantissimis monasterijs collocauit.

5. Patritius quidam qui in excommunicationem incederat, ob certi edicti transgressionem; ad Seruum Dei negotiatorus se contulit, & ille zelo motus ad genua statim procumbere iussit, ac stola, & vitga sibi adductis; stupentibus omnibus prius absoluit, & postea negocari permisit.

6. Iudices meretricem, quæ Neapoli Hierosolmitanum equitem verberari iusterat, remissius quam causa deposcebat iudicantes, grauiter reprehendit, dicens vos iustitiam facere debetis, ego autem gratias possum, qua propter prout iuris eam condemnari iussit ac postmodum sententiam mitigauit.

7. Quædam inquisitum de iactu cuiusdam Caraphæ in faciem unius presbyteri; diu in carcere detineri iussit; at cum is postmodum in sui præsentiam adduceretur, humilitatem maximam præferens, ardente Serui Dei charitate, amplexus fuit, & iussimul cum eo lacrymatus est. Quod fuit, & est verum &c.

C De

## De Vigilantia Pastorali , & zelo Ecclesiæ Iurisdictionis.

¶ 3 **I**tem ponit quod statim atque ad residentiam Placentinæ Ecclesiæ peruenit , vigilantia , prudentia , doctrina quicquid ad Christianæ fidei acumen pertinebat , omni conamine ad effectum producere deliberauit .

1. Præcipuè omne totum quod à Sanctissimo Concilio Tridentino paulo ante expleto statutum erat , inuiolabiliter , & ad verbum obseruari præcepit .

2. Ob id extruxit Seminarium ; in quo suæ Dioceesis pueri non solum litteris decorarentur , verum etiam in diuinorum præceptorum obseruatione educarentur , regimini enim illius viros doctrina , & sanctitate prestantes præposuit , labori , & impensè nequaquam parcendo , & ita , ut æquè boni , ac docti viri tractu temporis ad Ecclesiæ beneficium egrederentur .

3. Euocatus à S. Cardinale Carolo Borromeo , cui cōiunctissimus erat , Mediolani Prouinciale Concilium cœlebraturo anno 1569. ob immunitatem , quam Placentina Ecclesia pretendebat , literis Zelo iustitiae , & humiliatis plenis , id se à Clero adstrictum facere non posse significauit ; at S. Cardinalis Borromeus , eius præsentia maximè profuturam præsciens , vt immunis veniret se contentū esse rescriptit , quo ipse auditio , illuc se cōtulit .

4. Ac in ea Synodo inter alia præfatum Sanctum Cardinalē magnopere hortatus fuit , ne eius Dioceesis presbyteros ad remigandum condemnaret ; affirmans ibi peiores euadere , tantaque fuit eius Consilij authoritas , vt Sanctus Cardinalis presbyteros ad triremes deinceps non condemnauerit .

5. In-

5. Interroganti eum cuidam suo intimo familiari, quae de re Episcopalem, non autem Cardinalitiam dignitatem ita respuisset, Adeo, respondit, sola cogitatio defensandi Religionem me angebat, ut nulla mihi quies, pax nulla esse posse videretur, at cum ob mea grauia scelera ex ea egressus fui, ad Episcopalem dignitatem per vim assumptus, purpuræ dignitatem postea non tam ægrè tuli; sentiens maiori autoritate dicto Episcopali officio, iam mihi collato, fungi valere.

6. Etsi nullus honor, nullaque dignitas eum in superbiam adducebat, Ecclesiasticam tamen dignitatem seueritate, clementia, & affabilitate, prout quæque res expostulabat tuebatur.

7. In Vrbem Placentinam introduxit non solum Religionem suam Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum; ac Patres Cappuccinos illi omnia necessaria magna liberalitate largiens; verum etiam erexit Monasterium meretricum ad bonam, & Deo acceptam vitam confugientium, sub titulo S. Mariæ Magdalenæ, illasque subiecit Regulæ Diui Augustini; vtens in ea re ope, & consilio Beati Andreæ Auellini, eiusdem Congregacionis Clericorum Regularium.

8. Pauperes puellas orphanas, ne urgente necessitate in turpis vitae labem inciderent, eius proprijs facultatis in Ecclesia sub titulo omnium Sanctorum collocauit.

9. Ac similiter pro educandis pueris orphanis per Placentiæ Ciuitatem vagantibus, omni custodia pia defictis, ac ad scelera perpetranda facillimè labentibus, venire iussit Patres Somascos, quibus in Ecclesia S. Stephani collocatis, illorum curam commisit, omne totum eis necessarium magna liberalitate tribuendo.

C 2 10. Eius

10. Eius insimul consilio, & opere erecte fuerunt quā plures Congregationes pro bonorum, & piorum operum confectione, & pro illo prēcipue ut pueri, cæteriq; ignari Christianam doctrinam docerentur.

11. Dicecēsim sāpē sāpius visitabat, illiusque Concilium bis cōgregauit, auferens, & cassans quamplurimos, & indecentes abusus, ac in ipsa Placentina Vrbe turpes quosdam ludos, saltus, comedias diebus festiuis maxime, totaliter prohibuit.

12. A sanctissimo Pontifice Gregorio xiiii. insimul cum Sancto Cardinale Borromeo consultus, quid in principio sui Pontificatus sibi agendum pro bono Republicæ Christianæ, inter alia, respondit, iubere, quod Episcopi omnes se conferant ad residentiam suarum Ecclesiarum, ac cum tam bonum consilium fuerit effetti demandatum, coacti fuerunt quamplures Cardinales Romæ commorari eligentes Episcopatus renunciare, & adeo ipse suam Ecclesiam diligebat, vt ab eodem Pontifice plures requisitus, ut Romæ manere vellet, & Episcopatum renunciare, quamvis semper valde repugnaret, illius tamen auctoritate coactus respondit se de hoc consulere velle Cardinalem Borromeum, sciens certe idem illum sentire, quod cum sibi, prout expectabat euenisset, licentiam Placentiam redeundi obtinuit, & statim Roma discessit.

13. Hinc ab eodem Pontifice ad Neapolitanam Ecclesiā regendam euocatus, magnopere contradixit, adducens inter alia, se priuari non debere prima eius sponsa, quam tanto labore ad reformationem iam adduxerat.

14. Honores, & pompas, & si humilis erat, tamen si ad Ecclesiæ dignitatis decus pertinebant, non solum non effugiebat, verum etiam augere desiderabat.

15. Hinc

15. Hinc Neapolim ad Ecclesiam regendam ingrediens ab omni honore penitus obstinuit, recusauit enim maiorem partem Ciuitatis sibi occurrentem; at Ecclesiæ possessionem Cardinalitia veste indutus pedestre maiori parte nobilium, & ignobilium totius Ciuitatis eomitante solemniter accipere voluit, ab omnibus pro Sancto habitus.

16. Ecclesiasticæ Iurisdictionis fuit acerrimus propugnator; hinc recuperauit plura bona ad Ecclesiam pertinentia, & ab alijs usurpata.

17. Hinc etiam Archiepiscopalem crucem semper praeferre solebat, & etiam dum Proregem inuisebat, eam usq; ad illius propriam addueebat Cameram, magnam, hac de re admirationem, & ædificationem populo sustinente.

18. Duos etiam optimos Vicarios elegit, quorum alteri monialium, alteri vero Diœcesis curam commisit, & omne totum pro bono eius Ecclesiæ regimine.

19. Intelligens puerorum Seminarii vitij labi esse maculatum, maxima diligentia, & zelo repletus iussit ferre omnes ad eorum domos redire, ac nouos introduxit; cuius rei curam commisit P. D. Ioseph Barbulae eiusdem suæ Religionis Clericorum Regularium viro doctrina, & exemplo conspicuo.

20. Hinc etiam cum corporis Iesu Christi processio celebranda esset, in qua, & missæ celebratione assistit Regni Prorex; aspiciens ipsius Proregis sedile in nobiliore Ecclesiæ parte positum, cum superius esset, illico mandauit; parare pro se quoque ibi iuxta altare; ac Regios Ministros ipsi propter hoc contradicentes, constantia, & authoritate prædictus sui demum voti compotes reddidit, quod etiam in præsentiarum viget.

21. Qm-

21. Omnes suos familiares rectam, ac quasi religiosam vitam ducere studuit, omnes insimul usque ad Vicarios comedere, ac spiritalem lectionem in mensa recitari mandauit, quod etiam saepè saepius in eius mensa obseruandum mandabat.

22. Ut libentius, & attentius Canonici operam darent cultui diuino, ipsorum redditus augere studuit, ac etiam bona, & redditus quoad situm monasterij S. Arcangeli ab eo extinetti in illorum utilitatem conuertere conans; quod morte præuentus perficere non potuit, at Capitulum in tantę liberalitatis præmium, illius Summi Pontificis, qui tunc erat, ipsius Serui Dei, ac sua propria insignia in maiori porta Cathedralis Ecclesiae posuit, ut ad præsens est videre.

23. Cum iam consuetum esset in Neapolitana Ecclesia maiores Missas, ac vespertinas horas decantare, ipse consuetudinem integrum officium decantandi instituit, & ut id ad effectum, ut decebat, produceretur, hominem particularem designauit, quod fuit, & est verum &c.

### De Religione, eiusque actibus interioribus, deuotione, & oratione.

¶ 14. **T**em ponit quod seruus Dei in eminenti gradu habuit virtutem religionis, qua Deo Optimo Maximo, tanquam omnium opifici, ac humanæ salutis Redemptori, debitum cultum, & honorem exhibuit.

1. Saecularis existens, & si quamplurimi negotijs occupatus, nunquam tamen ab audienda quotidiana Missarum cælebratione auocari poterat, per multas etiam horas seruenter orabat; semper cum poterat ad Ecclesiam

siam confugiebat, ac à Patre spirituali salutares monitus libenter audiebat.

2. Diuinarum rerum amore ita erat affectus, vt ad bona opera exercenda addictissimus esset.

3. Cum patribus Congregationis Clericorum Regularium sèpè sèpius versabatur, ac suorum peccatorum Auditorem, vitæque moderatorem elegit B. Ioannem Marinonium eiusdem Congregationis.

4. Post etiam Sanctum Religionis habitum suscepsum se mirum inmodum orationi addictum ostendit, hinc ut illi, aut sacris literis operam nauaret, ab omni conuersatione remotus, continuò in cella manebat, nec per monasterium ambulare visus fuit, nisi sacras preces in choro decantaturus, Missam cælebraturus, aliaue necessaria facturus.

5. È monasterio similiter per ciuitatem nunquam egrediebatur, nisi maxima necessitate, aut superiorem ius suu urgente.

6. Placentiæ Episcopus creatus, tum ut satisficeret suo erga sanctam orationem amori, tum etiam ut populo piæ edificationis exemplum afferret, quotidie, & publicè, ante Sanctissimum Sacramentum duarum horarum spacio genibus flexit feruenter orabat.

7. A Sanctissimo Summo Pontifice Pio Quinto Tituli S. Potentianæ presbyter Cardinalis creatus, cum adhuc sacrum non celebrasset, biretum reuerenter accepit eidem Summo Pontifici, pro ut decet humiliter gratias agens, & illud capiti super imponere denegavit, usquequo Missam iuxta solitum cælbraret. Quod fuit, & est verum &c.

De

## De actibus exterioribus Religionis Adoratione, & Sacrificio.

¶ 5 ¶ Tem ponit, quod Seruus Dei insignem pietatem, siue spiritus deuotionem preferebat quotidiana Missarum cælebratione premissa sacramentali confessione, qua minimos suos defectus vehementer improbabat.

1. Horas canonicas noctu diuque mira cum deuotione recitabat, & in Religione insimul cum alijs decantabat.

2. Placentinæ Ecclesiæ Episcopus creatus, Clerum à via veritatis, & à diuino cultu longè aberrantem suo primò exemplo, adhibitis deinde multis alijs diligentis reformauit, & ad sinceriorem statum adduxit. Hinc nulla ætatis habitatione, ad decantandas diuinæ præces mane surgebat.

3. Singulis diebus etiam iter faciens Missam celebrabat, & quolibet die Dominico, mensis primo, proprijs manibus toti eius familiæ Sanctissimum Eucharistie Sacramentum ministrabat.

4. Singulis vesperris cū tota familia in ipsius ara orabat.

5. Frequentem Sacramentorum usum in sua Dicecessi introduxit.

6. Erga Sanctissimam Virginem, & redēptionis nostræ signa, deuotionem habuit maximam.

7. Sentiens hora vespertina, cum Placentiæ campana pulsabatur, Salutationem Angelicam ea cum qua decebat, deuotione minimè recitari, ac plerosque illam omittere, ea hora crucifixum prælis accensis adduci mandauit in medio plateæ, ut populus ad deuotionem induceretur prout euenit.

8. Pon-

8. Pontificalia, & Ecclesiasticas cæremorias mira cum  
grauitate, & deuotione exercebat. Quod fuit, & est verum &c.

### De Obedientia:

16 Item ponit, quod Seruus Dei excelluit in virtute obediæ, etenim parentibus obtemperavit, ac debitum præstítit obsequium.

1. Religionem ingressus solemnem obedientiæ votum emisit, qua in re multum conualuit, vnde non solum quod à superioribus sibi imponebatur, verum etiam quod à quocunque alio, hilari perficiebat animo, dicere semper solitus; omnium sum minimus, omnibus obdiren debedo.

2. Hinc, etsi in principio propter exuberantem humilitatem dignitates, & honores recusabat, cum tamen ex obedientia ei iniungebatur, statim humiliter se summittebat, vt euenit non solum in Religione, sed etiam extra, vti alias dictum est. Quod fuit, & est verum &c.

### De Gratitudine.

17 Item ponit, quod Seruus Dei habuit virtutem gratitudinis Deo semper gratias agens, tam de his quæ sibi prosperè, quam quæ finistrè eueniebant; pro beneficioribus nunquam orare desistebat, illis quantum poterat benedicebat. Quod fuit, & est verum &c.

D Dc

## De Fortitudine, & Patientia.

¶ 8] Tem pónit, quod Seruus Dei virtute fortitudinis præditus fuit, omnia pro Dei gloria intrepidè aggrediens, labores omnes superabat; peccatis se opponebat.

1. Corpus ut saluti contrarium iciunijs, varijs flagellis & mortificationibus tam fortiter domuit, ut nec illi quisquam nouit ius præferri posset, omnes animi passiones rationi subiecit, perseverando in bono usque ad finem.

2. Probra, contumelias, ignominias, aut his similia æ quo animo tulit. Quod fuit, & est verum &c.

## De Temperantia, & Abstinentia.

¶ 9] Tem ponit, quod virtute temperantiæ insignis fuit; cibis enim abstinēbat, religionis, & Ecclesiæ iciunia ne-dum seruabat; verum etiam alia ob peculiarem sui ipsius deuotionem addebat, dormiebat quantum pro vitæ substantiatione opus erat; proinde matutinis vigilijs aliquando præueniebat, multoties in oratione pernoctabat, quibus omnibus, ut præsto esset, non semel supernudas tabulas vestitus dormiebat.

1. Hanc laudabilem vitam non solum in Religione, sed etiam cum esset Episcopus, & Cardinalis duxit, usq; ad extreum vitæ exitum, ita ut omnibus admirabilis esset. Quod fuit, & est verum &c.

De

## De Castitate.

20 **I** Tem ponit, quod Seruus Dei castam, & cælibem vitam semper vixit, vxorem ducere denegauit, ac pro virgine ab omnibus semper est habitus.

1. Quantum præterea castitas sibi cordi esset varijs occasionibus demonstrauit, prout testes melius informati deponent.

2. Episcopus creatus mulieres negociorum causa in suum palatium introire veruit, dedecus enim earum pudicitia, ac ipsius castitati id exstimatorbat, ynde eas in sacello Episcopali audiebat, nec alibi, quamvis maturæ ætatis mulieres ailoqui visus fuit; impuritatis umbram adeò odio habebat. Quod fuit, & est verum &c.

## De Paupertate.

21 **I** Tem ponit, quod paupertatem adeo dilexit, vt in seculo existens diues fieri prorsus recusauerit.

1. Quod ex eo clarius redditur, nam cum fuisset Consiliarius per annos sex, & menses decem, Religionem postea ingrediendo, non habebat tantum in bonis, vt satisfacere posset quibusdam creditoribus paruæ quantitatis, idcirco Proregi supplicavit, vt sibi daret totam annatam; & si pauci dies desicerent, quod ille grati animi effecit, & verba addidit; utinam hoc, quod Scipioni de Aretio datur, & si pro seruitijs adhuc non totaliter prestatitis, ita bene daretur illis, qui seruitio præstiterunt.

2. Pro prouisione, quod officiali, officium sponte deponenti, datur; pauçarum rerum commestibilium elemosina contentus fuit.

3. In Religione mirum in modum in hac virtute illuminat, proprijs manibus uestes, & calceos sibi sarciebat, ac

D 2 etiam

etiam alijs, & octo annos continuos, tam hyemali, quam aestiuo tempore eadem veste indutus fuit.

4. Nec in cella libros quibus studuerat, habere desiderabat, sed eos, ut sibi inutiles, & alijs necessarios in bibliotheca reponebat uno tantum contentus.

5. Ad Episcopalem, & Cardinalitiam dignitatem asumptus, paupertatis Religiosæ quoque memor quoad suam personam erat vestes, & calceos reficiebat, nec tibialibus nisi ex panno rubro usus est.

6. Etsi paulominus annuorū ducatorū vigintimila haberet res tamen argenteas non habebat: nec illis ullo modo nisi ad Ecclesiasticum cultum vtebatur; quod fuit & est verum &c.

### De Mundi contemptu, & humilitate.

22] Tem ponit quod in hac virtute penè incomparabiliter illuxit.

1. Nam cum Carolus V.D. Petro de Toleto tum Prorege Regni Neapolitani præponente, Consiliarij togam Illi detulisset; præsciens hoc, Itri in remotiorem locum se duxit, vt dignitatem per quam possibile esset vitare posset, & pluries per litteras euocatus ire recusauit, tandem dictus Prorex de ipsius sufficientia, & bonitate certior redditus, Capua illuc homines grauis armaturæ misit, vt illum Neapolim ducerent; propter quod coactus fuit ad dignitatem illam capescendam, & dum possessiōnem, vt moris est, accepit, orationem maximæ humilitatis plenam in re illa recitauit, & Consiliarius existens à Paulo IV. sanctissimo Pontifice in dignitatem Auditoratus Roræ euocatus, illam recusauit.

2. Religionem ingressus affectabat humilem laicorum statum, sed contra suum desiderium obedientia coactus ad omnes ordines promotus fuit.

3. Vi-

3. Vilia exercitia sectabatur, vasa immunda ad mundandum asportabat; omnibus se subiiciebat, ac sancta emulatione inter ipsum, & connouitum Beatum Andream exorta alter alterum antecellere studebat.

4. Pro nihilo se habebat, idcirco aliorum orationibus se commendabat; & quando alios ex officio corrigere ei opus erat, tanta id efficiebat humilitate, ut in se ipso, & in alijs opulentum fructum reportaret.

5. Fuit vocalis creatus magnopere reluctans, & ad præposituram monasterij S. Pauli Ciuitatis Neapolis, assumptus; magnam animi perturbationem ob suam humilitatem de hoc ostendens, & in sua confirmatione quantum potuit contradixit, quod & in alijs Religionis dignitatibus semper fecit.

6. Castris ad mare Ecclesiam à Philippo Secundo sibi delatam renunciauit.

7. Præterea Brundusinæ Ecclesiæ, quæ tunc Vritanam coniunctam habebat, onus suscipiendum negavit; qua de re D. Perafanus de Ribere Dux de Alcalâ tum Regni Neapolitani Prorex tantæ humilitatis ardenter amore affectus, scripsit Legato Hispaniarum apud Summum Pontificem, ut eundem Summum Pontificem authorem redderet, ut Seruus Dei dictam Ecclesiam Brundusinam regeret cuius Legati precibus Summus Pontifex Breui particulari sub die 13. Octobris 15. eius humilitatem commendando, ad illius Ecclesiæ regimen hortatur, at ipse humilitatis nunquam immemor litteris tam ardentiter S.P. orauit, vt libenter ab illo onere cum liberauerit.

8. Nec Legationem pro Vrbe Neapolitana apud Hispaniarum Regem Philippum Secundum assumpsisset nisi à Sancto Cardinale Borromeo Pij Quarti nomine iterato ordine virtute sanctæ obediæ ei iniunctum esset.

9. Neapoli hac de causa discessit Romam transire denegans

**negans præter mandatū ei datū honores fugiendi causa :**

10. Rediens à Legatione prædicta Neapolim via non vulgari appulit abhorrens honores eorum , qui sibi occurtere deliberauerant , ac Neapolitanæ Ciuitati usque ad calcaria , & cothurnos restituit.

11. Ac cum remunerare vellet quendam sçulararem qui eum in itinere comitatus erat , consanguineis suis mandauit, vt ex eorum propria pecunia vigintiquinque numeros aureos darent, vti denegans nummis Ciuitatis .

12. Placentinæ Ecclesiæ Regimini se non subiecisset; nisi à Summo Pontifice Pio V. virtute sanctæ obedientiæ ei mandatum esset .

13. Qua dignitate accepta, Iulio de Aretio Nepotis in terra Itri commoranti, literas misit; quem de omnibus rebus certiorē reddidit, ac instanter mandauit, ne ipse; nec quisquam aliis suorum parentium Romam veniret, quo niam id sibi magnam molestiam afferret , & hoc vt pro viribus honores omnes fugeret, & ita Roma ad Placentinam Ecclesiam regendam discessit , eiusque possessio-  
nei priuatè adeptus est .

14. Cum Episcopali dignitati Cardinalitiam addidisset , ac eum iret Missam cèlebraturus priuatè, vt solitus erat ad Ecclesiam S. Vincentij Monasterij Clericorū Regulariū Ciuitatis Placentiæ ab ipso fundati , quedā paupercula mulier ei sibi ignoto eleæmosinā obtulit , requiriens , vt sacrum celebraret, pro quodam suo cognato vi-  
ta defuncto, quæ cum ab aulicis certior reddita, eum es-  
se Cardinalem de Aretio, obmutuisset : Seruus Dei, om-  
nia aspiciens, ad se illam vocauit, dixitque ; soror, hoc mane pro alio sum Missam cèlebraturus; cras, infallibili-  
ter pro te illam cèlebrabo, & eleæmosinam accipi iussit ,  
& quibusdam alijs pauperculis erogari .

15. Cum ad Neapolitanam Ecclesiam regendam se conser-

conferret Itrū trāsūt ; ac ei, vtī Sāctō, Caetanus Episco-  
pus cum baldachino , toto clero , ac innumeris personis  
honoris causa occurrit, ob q̄ seruus Dei valde ob suam  
humilitatē contristatus est, dixitq; ni mandaret omnes  
reuersti, se Fundos regressurum ; cumque ita effectum es-  
set, cum Episcopo solum ambulans, vt iuxta morem ipse  
populo benediceret, effecit.

16. In Ecclesia postea sacerdorem quendam inueniens,  
qui cum parum domum Serui Dei diligeret, se cælabat,  
ne illi occurreret , at ipse ob suam charitatem, & humili-  
tatem dissimulans ob aliud illuc, vbi sacerdos erat, se  
conferre, ad se eum vocauit, & amplexus fuit, omne  
auxilium , & benevolentiam deferens.

17. Cum anno 1576. ob mortem Marij Carafæ Sum-  
mus Pontifex Gregorius XIII. Archiepiscopatu Ciuita-  
tis Neap. offerret ; magnopere ipse contradixit, & alle-  
gans quam plurimas instantias, tam ab eadem ciuitate,  
quam ab ipsis Prorege de hoc factas, virtute sancte obe-  
dientiæ dignitatem illam acceptari , & iussit, & effecit.

18. Ac postea Neapolim veniens solemniter introire  
denegauit ; sed mula , qua equitauit ; ingressus fuit ,  
& quam plurimis viris eis occurrentibus gratias beni-  
gnè egit , orauitq; illos ne eum comitarentur , & ita hu-  
milis Dei seruus ad suum Archiepiscopale palatum se  
contulit die 2. Decembris anni 1576. sub hora 24. ho-  
nores fugiendi causa.

19. Maxima humilitate omnes audiebat, sedens sæpè  
sæpius in imo sedili plateæ.

20. Denique vsq; ad extremum vitæ exitum honores  
abhorrens in ultimo testamento legauit suas esequias ce-  
lebrari dempta omni pompa, & in cimiterio S. Pauli sive  
Religionis humilitet sepeliri. Quod fuit , & est verū &c.

De

## De studiositate.

23] **T**em ponit, quod Seruus Dei habuit virtutem studiositatis, cum enim esset utriusq; iuris Doctor, & aduocationis munere Neapoli fungeretur, breui inter primarios causarum patronos magna cum laude existimatus erat, & illum magnus clientum ceterus consuliebat; in tantum, ut ipse Dei seruus honores fugiens in terram Itris suam patriam se contulit, unde postea Consiliarius fuit dominatus ut dictum est.

1. Philosophiae, Theologiae, græcarum, & hæbrearum literarum eruditus erat.

2. Religionem ingressus, ac Romæ existens Præpositus monasterij S. Siluestri, à Sanctissimo Pontifice Pio V. connumeratus fuit inter alios vigintiquinq; viros maxima doctrina eruditos, & ab eodem Sanctissimo Pontifice electos, pro promulgatione Bullæ super censibus conditæ sub die x. Ianuarij 1568., & à Summo Pontifice Gregorio XIII. postea confirmatae, & cum esset viigesimus in ordine eorum, qui votum facere habebant, ipse semper ob magnam suam humilitatem tacuit, ac pœna tantam in sui voti propalatione doctrinam, & prudentiam demonstrauit, ut non solum votaturi, sed qui votauerant libenter in ipsius ierint sententiam, ut est etiam videre ex tractatu, quem ipse de censibus composuit.

3. Episcopus, ac postea Archiepiscopus creatus cum ipse in conscientia casuum notitia valde peritus esset, ut confessarij omnes tam necessariam doctrinam perfectè docerentur, in sacrario suæ ecclesiæ eos legi curavit.  
**Quod fuit, & est verum &c.**

De

## De Regulæ suæ Religionis custodia.

¶ 4] Tem ponit, quod Seruus Dei, dum esset Religiosus, obseruauit ad vnguem, & inuiolabiliter cunctas suæ Religionis Regulas, & eadem, vt ab omnibus obseruarentur, zelantissimus fuit.

1. In specie chori, & canonicarum horarum præcipue matutinarum se valde obseruantem semper ostendit.

2. Et mirum in modum lætabatur, aspiciens suæ religionis fratres in eadem obseruantiae virtute proficere, at ubi aliter cernebat, apprimè tristabatur.

3. Silentium similiter, vt Religionis custodem; obseruabat, & obseruari strictissimè cupiebat; & hæc virtus tantum in eo inualuit, vt etiam ad Episcopalem, & Cardinalitiam dignitatem assumptus; in se, ac in cæteris alijs eam elucere desiderabat; vt in pluribus casibus à testibus melius informatis testimonium proferetur. Quod fuit, & est verum &c.

## De obseruantia erga suam Religionem.

¶ 5] Tem ponit, quod erga suam Religionem obseruantissimus fuit, nam procurauit augmentum, & honorem ipsius verbo, & opere.

1. Romæ commorans Cardinalis Vgonis opere, cui valde coniunctus erat; effecit, vt Sanctissimus Pontifex Pius V. non solum cofirmaret vetera priuilegia religionis, sed etiam concederet noua.

2. Certior redditus se à Religione discessurum ad gubernandum Ecclesiam Placentinam, adeo hoc ægrè tulit, vt illo tempore, quo in ea permanserit; semper tristis obmutuerit.

3. Cum esset Cardinalis, & Placentiæ Episcopus, ac

E Me-

Mediolanum à S. Carolo requisitus prima vice in eiusdem S. Caroli palatio commoratus fuit, at postea ubi fundatum vidi monasterium suæ Religionis in eadem Ciuitate, semper in eo commorari elegit.

4. Placentia Episcopus creatus, cum illuc patres suæ Religionis euocasset, omnia necessaria maxima liberalitate illis erogauit; inter eosdem commorari gaudens, & præcipue cum B. Andrea Auellino sibi coniunctissimo.

5. Sæpiissime in eodem S. Vincentij monasterio facrum celebrabat, eiusdem Congreg. Clericorum aliquem sibi in eo seruire eligens, & cum sacrissimæ ianuam clausam aspicceret, proprijs manibus tintinnabulum pulsabat, aulicos domum introire denegans, ne silentium perturbarent. Quod fuit, & est verum &c.

### De pœnitentia, & austерitate vitæ.

26] Tem ponit, quod Seruus Dei pœnitentia fuit insignis; carnem enim suam cilicijs, flagellis, vigilijs, ac ieunijs semper domuit, in stramento saepius dormiebat, siccus corpus suum mortificabat; quam vitæ austéritatem, & sensuum mortificationem pro Dei gloria usque ad mortem constantissime sustinuit.

1. Romam transiens ad regendam Neapol. Ecclesiam, à Cardinali Sforzia splendidè acceptus hospicio, mollem, & delicatum lectum contemnens, super nudas tabulas dormire maluit, & si tum frigus vigeret.

2. Hinc etiam quamuis pro Episcopali, & Cardinalitia dignitate seruanda, domum mediocriter ornata seruabat, & præcipue lectum ornatum habebat, in eo tamen ipsius Serui Dei Camerarij dormiebant, at ipse in secretiori camera in lectulo ad exemplum suæ Religionis, & saepè super tabulas dormiebat. Quod fuit, & est verum &c.

De

## De Diuinis reuelationib⁹,& dono Prophetiæ.

**27** **I** Tem ponit, quod Seruus Dei habuit donum Prophetiæ; & multa à Deo fuerunt ei reuelata: nā quamuis propter suam humilitatem affectauerit in abscondito tenere vitæ sanctitatem, aliquando tamen ex diuina permissione illā notam fecit, prout in specie euenit.

1. Dioecesim visitans, cum esset Episcopus Placentiæ ad oppidū, Turazzanum dictum, perueniens, ac Hieronymi Arcelli domi commorans, interrogauit illum an filios suscepisset, nec ne? cui respōdit, ex eo graui mērore affectū se esse; quōd filios non haberet; tunc Seruus Dei manus eleuans, & ipsum benedicendo ait, vade, & Deus benedictus concedat tibi procreare filios, & ita euenit.

2. Alio quidem die cū quodam mane discumberet recordatus fuit pauperum, quibus elemosinam erogare solebat; vnde eripuit ex tibialibus paginam, in qua ij deseripti erant, & ē mensa ferculū acceptum cuidā ex famulis iussit vt afferret mulieri parturienti, ac fame laborati propè Xenodochium Cijitatis; & cū famulus crederet, se illā difficillimē inuenturum, respondit Seruus Dei, vade, & propè illic, vbi sudarium istud, quod super brachium tibi pono, cadet; illa moratur. Quare ille mandatis obtemperans, illuc se contulit, & immemor signi, vagabatur, vt pauperculam parturientem inuenire posset, sed postmodum cum sudarium à Seruo Dei acceptum perdidisset, signi recordatus est, & illud quārens ante portā pauperculę parturientis, pro vt Seruus Dei predixerat, inuenit, hæc & alia testes melius informati deponēt. Quod fuit, & est verū &c.

### De fama sanctitatis in vita.

**28** **I** Tē ponit, quād Seruus Dei Paulus dū in humanis ageret ab omnibus virtutisq; sexus nobilibus, ignobilibus, sēcularibus

ribus, religiosis, Sūmis Pontificibus, Regibus, Prīcipib⁹  
Cardinalibus, alijsq; Prēlatis, ac cuiusuis grad⁹, status, cō  
ditionis, eminentiæ, prērogatiuæ, in omnibus locis, castris  
terrīs, ciuitatibus, ad quas fama rerū gestarum ab eo per  
uenit, pro viro suprascriptis virtutib⁹ ornato bono, sācto,  
pīo, religioso, ac Dei amico habit⁹ tētus, & reputat⁹ fuit.

1. Inter hos prēcipuē fuerūt Sanctus Carolus Cardina-  
lis Borromeus, qui in magna existimatione semper habuit  
Seruum Dei, & ei coniunctissimus erat.

2. B. Andreas Auellinus, Clericus Regularis, vt sanctū  
semper eum colebat, vt puta quia virtutum eius omnium  
fuit oculatissimus testis.

3. In quanta Existimatione erat apud Summum Pontifi-  
cum Pium IV. ex Breui, ad eum directo, pro suscipienda  
Ecclesia Brundusina colligi potest.

4. Sanctissimus Pontifex Pius V. tanti eum estimabat;  
vt Episcopum Placentinæ Ecclesiæ, & postea S. R. E.  
Cardinalem creauerit.

5. Sic etiam, & Summus Pontifex Gregorius xiiii. vir-  
tute sanctæ obedientiæ ei præcipiendo, vt ad Neapolita-  
nam Ecclesiam regendam se conferret.

6. Philippus II. Hispaniarū Rex, Parmæ Dux, ac nonnul-  
li alij Principes cum, vti sanctum, reuerebantur.

7. Tanta erat illius sanctissima fama, vt ipsi contradice-  
re nemo ausus fuerit vñquam: existens enim Archiepisco-  
pus Neapolitanus crucē pastoralē præter vsum afferebat  
vñsq; ad Proregis Cameram, & Ciuitatis castra inuisebat.

8. In tanta existimatione apud Summum Pontificē erat  
vt cum quidam à Serui Dei sētentia ad eundem Summū  
Pōtificē appellauerit; appellationem non admisit ille in-  
quiēs à sentētia Cardinalis de Aretio nō est appellandū.

Antonius Marsilius Archiepiscopus Salernitanus in tra-  
statu de Ecclesiast. redd. orig. & iure 1. par. cap. 16. nu. 30  
dum

dum adhuc viuebat Seruus Dei, dicit de eo, quod ob eius sanctitatem, & doctrinā in amplissimum Cardinaliū Collegium à Sanctissimo Pio V. fuit assumptus.

10. Quāta demū esset eius sāctissimā fama, vel ex eo apparere potest, quod cū homines aliquē vti bonū, perfectū ac sanctū extollere vellēt, is se gerit, dicebāt; nō fec<sup>o</sup>, ac si esset aulicus Card. de Arelio. Quod fuit, & est verū &c.

### De fœlici obitu Serui Dei.

29 **I**TÉ ponit quod cū Seruus Dei omnib<sup>o</sup> virtutib<sup>o</sup> ibatus es-  
set, ac séper de sua salute magnoperè vereretur, in tātum  
vt cū patrib<sup>o</sup> suę Religionis sāpē cōquereretur, cur eū lai-  
ci officio fungi nō pmissent, nā nullā habēs dignitatem  
suę salutis securior esse poterat, post nonnullos meas  
consumptos in Ecclesia Neapolitana regēda, à magna pi-  
tuita, capitisq; distillatione inuasus est; ita vt eius pectus  
affidua tuſſi crudeliter angeretur, quā ob causam crebra  
medicorū sententia, vt cēlū mutaret, consultus, suę Ec-  
clesia zelo illud agere denegauit; nec finaliter ad effectū  
perduxisset, nisi spe illā melius gubernādi sibi persuasum  
foret. Qua propter. Turī del Grēco, oppidū Neapoli sex  
millibus passuū distans, & suę eiusdē Dięcesis se cōtulit,  
ibiq; licet grauiter egrot<sup>o</sup> nūquā destitit negocia tractare,  
ac oēs cum sūma audire charitate, imō semel saltē in heb-  
domada Neapolim se conferebat, suā Ecclesiā reuisurus,  
interim erga pauperes illius oppidi magnā ostēdit chari-  
tatē; oēs vtriusq; sexus induēdo, ac magna liberalitate e-  
leemosinas largiendo; accidit autē cū mane quodam pa-  
tentē fenestrā ligno quodā occludere vellet, ne suis au-  
ster in cōmodū afferret, vēti impetu humi prostratus est;  
ac ligno coxa infracta est, ac ex hoc oriēte strepitu accur-  
rerunt aulici, eūq; semiuiū inuenientes, statī cōuocaue-  
runt

runt medicos, qui Serui Dei coxā fascijs obduxerūt, inde Neapolim eū proficisci persuaserūt; auditio populus hoc casu, ad eū videndū se contulit, mulieres, atq; infantes tot fletibus, querulisq; vocibus conquerebantur, vt proprij patris mortem lugere viderentur, quare cum ipsum velut in cubili iacentem, Neapolim duci debere decretū esset, omnes eum super terga præferre se se vltro obtulerunt, sicq; Neapolim ductus est magno populi concursu. Vbi Neapolim peruenit coxæ, fractura in cubili eū iacere cogebat, ac priscus catharrus adeò grauis euadit, vt parua superueniente febri morti proximus factus fuerit; in hac nouissima infirmitate, quamvis maximis doloribus vexaretur; nunquam tamen conqueri, sed omnia patientissime ferre visus fuit, diuini amoris igne se se accensum ostendens. Quare cum se morti proximum audiret, Sæcundissima Sacraenta à patribus suæ Religionis, qui semper illi astiterunt, requisivit, eaq; summa cum humilitate, & deuotione suscepit, & cum ei significatum esset, quod licet Dei coadiuuante gratia rectè semper vixisset, timere tamen debebat, cum Antistes fuisset, animarumq; curam habuisset; saltim de omissis adeò contristatus fuit, vt defectuū veniam amare plorans, à Domino petierit, & iterum peccata sua confiteri voluit; postquam ultimum testamentum iuxta facultatem sibi concessam condidit, in quò, & si Iulium de Aretio hæredem instituic, eū tanè adeò ad piorū legatorum erogationē grauauit, vt hæredi tas nullum illi emulumentum attulerit, sed illum potius instituisse, vt eius voluntatis executorem haberet, visus es; Corpus suum absq; vlla pompa in cæmeterio Diui Pauli humari voluit, dicens, se in eo loco sepeliri velle, in quo Religionis spiritum acceperat, solemnenq; emiserat professionem, sicq; annorum 67. ætatis sive, & humanæ salutis 1578. 17. mensis lunij in Domino requieuit.

De

## De fama sanctitatis post mortem.

30 Té ponit, quod post mortē Servi Dei Pauli vniuersa Ci-  
uitas Neapolis amarē fleuit, & omnes ferrē tenuerūt, ob  
peccata populi, Deum tanto homine illam Ciuitatem  
priuasse, vt indignam; flebant specialiter pauperes, &  
orphanæ, quibus summa cum liberalitate ipse largiri so-  
litus erat; vnde per aliquot dies Ad eius sanctum corpus  
insepultū, in Ecclesia maiori iacens, innumerabilis mul-  
titudo ex omni genere concurrit venerandum; & vnuſ-  
quisq; conabatur pedes eius, aut vestes osculari, & qui-  
dam eum corona tangebant, ac eiusdem, pro sancto ab  
omnibus habitu, vnuſquisq; aliquam reliquiam ipsius ut  
Sancti Dei desiderabat, hac habitam conseruabat. Po-  
stea licet in testamento Seruus Dei absq; funerali pompa  
sepeliri iussisset; eius tamen exequiæ solemniter cele-  
bratæ fuerunt tum ob ingentem omnium Religionum, &  
Cleri numerum, tum etiam ob magnum populi concur-  
sum, siccq; eius cadauer translatum fuit ab Ecclesia Ar-  
chiepiscopali ad Ecclesiam S. Pauli suorū Patrum Cle-  
riticorum Regularium, vbi vix ob inouerum populum  
celebrari exequiæ potuerunt, ac vix præberi potuit om-  
nibus commoditas venerandi eius corpus. Accidit au-  
tem tempore mortis Servi Dei, quod sanctimonialis quæ-  
dam orādo, rapta in spiritu, vidit in quodam loco solem  
niter ornato, ac luminoso infantulū extremæ pulchritu-  
dinis, cui postulant qui nam esset, respondit: sum Ani-  
ma Cardinalis Pauli de Aretio; que nunc ad celum euo-  
lo, in se reuersa, sanctimonialis, dixit hanc visionem alijs  
monialibus, vnde sciscitantes, vtrum Sanctus Cardina-  
lis esset tunc mortuus, illico ex sonitu campanæ maioris  
Ecclesiæ collegerunt esse iam mortuum, & ex hoc ma-  
gnopere crevit opinio, & deuotio ipsarum erga prædi-  
cium

**Quum Seruum Dei.** His peractis sepultus fuit , prout te-  
status erat in cæmeterio eiusdem Ecclesiæ S. Pauli in li-  
gneo tamen tumulo Pontificalibus vestibus induitus , &  
fuit à prädictus patribus conseruatum pileum Cardina-  
litum Marchio Apollæ accepit eius biretum à familiari-  
bus Serui Dei , & illud vti Sancti Reliquiam veneratus  
fuit tenuitque usque ad senectutem , vt postea conserua-  
retur; patribus prädictis reddidit ; Interim, eius sanctita-  
tis fama, non solum Neapoli, in terra Itri, ipsius Serui Dei  
Patria , & in Ciuitate Placentiæ , in qua Episcopus fue-  
rat, sed etiam in omnibus locis , ad quos ipsius sanctita-  
tis fama peruenit , percrebuit , & ab omnibus vti sanctus  
colebatur; inter alios non vulgaris ipsius sanctitatis te-  
stis esse potest Beatus Andreas Auellinus; qui cum Seru-  
us Dei Paulus fuisset eius connoitius; eum semper ante;  
& post mortem pro viro sancto veneratus fuit , vt ex  
pluribus epistolis est in präsentiarum videre , & in omni-  
bus exhortationibꝫ ad suos fratres pro sanctæ edificatio-  
nis exemplo Seruum Dei Paulum proponebat , ac eius  
virtutes magnopere extollés illos imitari hortabatur. Ip-  
sius vita descripta fuit vti hominis sanctitate conspicui à  
Io. Baptista de Tufo Episcopo Cerrensi , & à P. D. Io.  
Baptista Castaldo Congregationis Clericorum Regula-  
rium , Cæteri authores, cum de Seruo Dei mentionem  
faciuntr magnis laudibus eum extollunt ; sic Claudio de  
Sanctes Episcopus Ebrocenſis in präfactione suarum re-  
petitionum. Io. Petrus Grissanus Cōgregationis S. Am-  
brosij Mediolanensis in vita S. Caroli , Achilles Statius,  
Cesar Visillus , Io. Vincentius Anna , cum pluribus alijs  
non leuijbus authoribus. Quod fuit , & est verum &c.

De

## De veneratione sepulchri, & Reliquiarum Scrui Dei.

¶ **I**Tem ponit, quod licet Seruus Dei in supradicto loco humili cæmeterij humatus fuerit; ad eius tamen sepulcrum venerandum multi confluabant, & illud, & reliquæ ipsius in maxima veneratione habebantur ab omnibus illis, ad quos fama eius sanctitatis peruenit, & illius intercessione se commendabant, & ita per plures annos eius corpus stetit; cumque postea Ecclesia refecta fuerit in ea, quæ ad præsens aspicitur, forma, ac cæmeterium in diuersum locum translatum fuerit, corpus Serui Dei translatum fuit in sacellum sanctissimi crucifixi nuncupatum; & licet non integrum inuentum fuerit, illud tamen non male olebat, vestesque Cardinalitizæ, & Pontificales incorruptæ erant. Ibi cum per plures annos steterit, à plerisque ob deuotionis causam sèpè sepius visitabatur. Demum anno 1624. die 15. Iunij cum pavimentum dicti sacelli reficeretur; inuentum fuit corpus Serui Dei in eo loco, in quo repositum fuit, ac actu publico translatum fuit in quoddam aliud sacellum magnis amplum, ac cum casu ibi fuerint quidam sacerdotes, qui in maxima veneratione habebant sanctitatem Serui Dei, secretè quidam ex eis paruam reliquiam ex ossibus accepit, quam cum diuersis infirmitatibus applicuisse, plures gratias consequutus est; aucta est propterea erga eius sanctum corpus deuotio, ac unusquisque conatus est aliquam habere reliquiam, & habitat multa cum deuotione custodire; unde continuò eius sepulcrum honoratur, eius intercessionibus commendatur, tabellæ votivæ afferuntur in signo suscepitæ gratiæ, & lumina-

Feria

ri multa accenduntur , & ita de die in diem angerit de-  
notio , non solum in Ciuitate Neapolis ad eius Sepul-  
erum , sed etiam in Terra Itri , vbi in Ecclesia Patrum  
Capuccinorum , ac in Ecclesia Vniuersitatis adsunt Ico-  
nes cum effigie Serui Dei , ad quam venerandam conti-  
nunt omnes confluunt , ac etiam iterantes , & ante ip-  
sam exorcizantur multi a dæmonibus obsessi non sine  
maximo adiuuamento ipsorum , sic etiam accenduntur  
luminaria , appenduntur tabellæ votivæ in signū gratia-  
rum , & communiter ab omnibus appellatur dicens Seru-  
us Dei Beatus Paulus . Quod fuit , & est verum &c.

### De Miraculis.

32 **T**eni ponit quod Altissimus Dominus noster ad gloriam  
sui nominis , fideique Catholicæ corroborationem , &  
manifestandam dicti Serui Dei Pauli vitam inculpatam ,  
& sanctam , & incorruptos mores ; non ex arte , neque  
ex vi verborum , neque ex illicita pactione , sed ex eius  
meritis , & intercessione multa miracula fecit post mor-  
tem eius , quæ omnem creaturæ facultatem superant ;  
tamen apud eius sepulcrum , quam alibi ad contactum  
vestimentorum , sive reliquiarum ipsius , ad eiusdem  
invocationem , & adhuc assidue operari dignatur a varijs  
infirmitatibus , & periculis , tamen corporalibus , quam  
spiritualibus eos liberando , qui eius auxilium humiliter  
& deuote implorarunt , & quod omnes de huiusmo-  
di miraculis notitiam habentes , pro certo , & sine aliqua  
dubitacione crediderunt , & tenuerunt , & reputauerunt  
tenent , credunt , & reputant miracula huiusmodi fuisse ,  
& esse vera , & non exarte , nec illicita pactione , cum  
aliquo

aliquo malo spiritu, sed à Deo obmerita; & intercessio-  
ne Serui ipsius Pauli præter, aut supra rerum naturalem  
ordinem, laudem, & gloriam divini nominis, fidei Ca-  
tholicæ corroborationem, & ad manifestandam Serui  
sui Pauli facta fuisse, & pro tempore fieri, qui premissa  
suo tempore viderunt, vel in se ipfis experti sunt,  
vel ab alijs audierunt, & contestati sunt, &  
contestabuntur, sic fuisse, & esse verum,  
publicum, notorium, & manife-  
stum, publicam vocem,  
& famam, &c.





005652867

Digitized by Google





